

05

A

1083





DISPUTATIO
METAPHYSICA

De

Bono & Malo,

Quam

DEO ter Opt. Max. adjuvante,

PRÆSIDE,

M. MARTINO CASELIO,

Sereniss. Sax. Elect. Alumno, & Fac.

Phil. Adjuncto,

In Academia VVittebergensi,

GABRIEL CORNICOELIUS

Costorffiensis Alumn. Ele-
ctoralis,

In Auditorio Minore

D. 2. April. horis matutinis,

Publicæ disquisitioni subicit.



WITTEBERGÆ


Ex officinâ Typograph. Ambrosij Rothi Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XXXVI.

DISPUTATIO
METAPHYSICA
BOND & MALO



GABRIEL ARBO COELES
Collegii Alumnus etc.



WITTEBROS
Ex officio Typographus, Ambrosii Rotti Acad Typogr

ANNO M. DC. LXXVI





Disputatio Metaphysica
De
BONO ET MALO.

MEMBRUM I.

Exhibens Theses.

§. 1.

Bonum à boando derivant, quod quasi boet & clamet, ut alios ad se alliciat: alii tamen bonum quasi duonum dictum volunt, quod duobus quasi constet, nempe entitate & superaddita relatione congruentiæ, quod Festo placet, qui ex veteri Poeta citat: *simul àuona eorum portat ad naues.*

§. 2. Græcis dicitur καλὸν vel διπὸ τῆ καλεῖν, quod animos provocet ad se appetendum: vel διπὸ τῆ κηλεῖν, quod demulceat appetitum nostrum. Item ἀγαθὸν, vel διπὸ τῆ ἀγειν, quia nos ducat & alliciat ad sui appetitionem, vel quasi ἀγαθὸν ἀξιὸν τῆ θεῖν, valdè dignum ad quod curramus, vel quasi ἀγαθὸν ἀξιὸν θεῖας, dignum multa spectatione: quanquam hæ duæ voces honestum & pulchrum in specie notent, ut aliger ille Scaliger observavit hisce verbis: *Græci καλὸν ἔ bonum, ἔ honestum ἔ pulchrum dixerunt, una voce. Et ἀγαθὸν, quod nunc bonum significat, per initia pulchrum designabat, quod dignum multa esset spectatione, ἀγαθὸν ἀξιὸν θεῖας.* Hebræi usurpant vocem כִּי, quanquam ipsa etiam non rarò pulchrum notat. Sic Gen. 26. 7, legimus, quòd Isaac de Rebecca uxore sua coram Abimelecho dixerit, quòd esset soror, quia timuerit propter Rebeccam, כִּי-טוֹבַת מְרֵאָהּ הִיא, quòd pulchra aspectu esset.

Exerc. 300.
sect. 3.

§. 3. Distin-

§. 3. Distingui solet Bonitas in accidentalem & essentialem.

§. 4. Bonitas accidentalis dicit convenientiam accidentium cum subjecto, & sub se Moralem atque Naturalem comprehendit.

§. 5. Bonitas moralis est nihil aliud, qua in *εὐνοία*. Unde bonum morale dicitur, quod est *εὐνομον*. Sic ergo homines virtuosi. v. g. justi. temperantes, fortes &c: item actiones virtuosae & virtutes ipsae sunt bona moralia.

§. 6. Bonitas naturalis dicit congruentiam virium naturalium ad rem naturalem. Sic quodvis animal dicitur bonum naturaliter, quod habet vires & perfectiones naturae animalis debitas. Contra verò quod agrotat, uno aut pluribus destituitur membris, hoc modo bonum dici nequit.

§. 7. Bonitas essentialis, quae hoc loco intelligitur aliàs transcendentalis vocatur, quod sua latitudine omnes res praedicamentales transcendat, ut Philosophus *lib. 1. Nic. c. 8.* docet, quando ait: *Bonum totidem modis dicitur, quot illud, quod est. Nam & in substantia dicitur, ut Deus & mens: & in quantitate ut mediocre, & in qualitate ut virtus &c.* Vocatur etiam Bonitas Metaphysica à disciplina, in qua explicari solet.

§. 8. Ejus formalis ratio à quibusdam statuitur esse appetibilitas, quia Aristoteles *lib. 1. Nic. cap. 1.* dicat: *Bene id esse bonum ipsum asseruerunt (quidam) quod omnia expetunt*: sed tamen haec sententia subsistere nequit, quia appetibilitas aliud quod prius agnoscit. Ideò enim aliquid appetimus & appetibile judicamus, quia nobis conveniens existimamus. Ad auctoritatem verò Philosophi respondemus, quod ipse *loc. cit.* bonum non voluerit accurate & à priori definire, sed aliquo modo & à posteriori pro instituti ratione declare.

§. 9. Nos cum illis sentimus, qui statuunt, quod Bonitatis essentialis formalis ratio consistat in conformitate seu congruentia essentiae cum re ipsa. Quod enim congruentiam notet, nemo fortè amplius seriò dubitare potest. Quod autem talem hoc est congruentiam cum essentia involvat, ex
verbis

verbis Philosophi probamus, qui *lib. 8. Nic. cap. 6.* ait: *Bonum amabile est, cuius autem proprium.*

§. 10. Sic ergo Bonitas est nihil aliud, quam affectio entis unita, secundum quam ens habet essentiam sibi convenientem. Sic v.g. *Equus est ens bonum, quia constat corpore organico & anima irrationali hinnibili, adeoque habet essentiam sibi convenientem.* Essentialiter ergo bonum dicitur quodvis, quod habet talem essentiam, quæ sibi conveniens sit.

§. 11. Quia verò res similitudinem quandam inter se habent, hinc oritur mutua eorum convenientia, ut aliquid alteri bonum esse dicatur, quam sequitur appetibilitas, ut ita manifestum sit, quod antea diximus, nempe appetibilitatem non esse formalem rationem bonitatis, sed ejus proprium quasi consequens.

§. 12. Distinctiones Boni dantur variae, quarum tamen prima tantum exhaurit latitudinem boni essentialis. Sic ergo Bonum aliud dicitur per essentiam, quod suam bonitatem sicuti & essentiam non aliunde accepit: sed à seipso habet, ut *solus Deus*: aliud per participationem, quod suam bonitatem ab alio, scilicet à Deo accepit, juxta illud: *Vidit DEUS cuncta quæ fecerat & ecce erant valde bona.*

§. 13. Distinctiones, quæ distinguunt id quod alteri bonum esse dicitur, ferme sunt sequentes:

(1.) Bonum est vel verum (*ἀληθές*) quod non tantum alteri videtur, sed revera est conveniens: vel apparens (*φαινομένον*) quod revera est disconveniens, & tamen sub specie convenientis sese alteri insinuat. Sic *eruditio & virtus, sunt bona vera: contra calumnia, audacia, latrocinia, omnia multis videntur esse bona, cum revera mala sint.*

(2.) Bonum est vel honestum, quod est *ἔννομον*, & alias bonum morale, quod ad Ethicam directè spectat, vocatur, ut *justitia & alia virtutes morales ac actiones virtuosæ*: vel jucundum, quod delectat sive animum sive corpus, ut *virtus, cibus*: vel utile, quod prodest & commodum affert, ut *χρήματα*: quæ distinctio habet ut apud ipsum Philosophum *lib. 8. Nic. cap. 6.*

(3.) Bonum aliud est necessarium alteri vel ad esse, quo prorsus carere nequit, *ut respiratio in animali: vel ad bene esse, quod tantum facit ad splendorem ornamentum &c: ut virtus &c: aliud non necessarium, quo facile aliquid carere potest, ut crista respectu studiosi.*

(4.) Quibusdam bonis abuti possumus, *ut sunt divitiæ & dignitates: aliis verò abuti prorsus non possumus, ut virtutes morales.*

(5.) Bonum est vel simpliciter bonum, quod semper, & omni est conveniens, *ut Virtus: vel secund. quid, ut* *χρυσός.*

(6.) Bona alia sunt Naturæ, quæ naturam ab intra perficiunt, *ut sanitas: alia fortunæ, ut opes & dignitates.*

(7.) Bona alia sunt interna, quæ in nobis; quæ rursus vel animi sunt, vel corporis: *ut virtus, sanitas: alia externa, quæ extra nos, ut opes.*

(8.) Alia sunt permanentia & fixa, *ut sapientia & iustitia, cum habitus sit difficulter mobilis, ut Philosophus in Categ. Qualitatum docet: alia caduca & transeuntia, ut voluptas, quæ actione absoluta transire solet.*

(9.) Bona quædam sunt per se, *ut Philosophia, Jurisprudentia: quædam per accidens, ut schismata & hæreses.*

§. 14. Atque hæ sunt Communiores Boni distinctiones: Nunc de Malo, quædam sunt addenda, quod variat pro diversitate Boni, modò hoc observetur, quòd bono essentiali non opponatur malum, cum bonitas essentialis sit adæquata entis affectio: sed non bonum, quod idem est quod non-ens.

§. 15. Bono igitur morali malum morale, naturali, naturale, ei deniq; quod alteri bonum esse dicitur malum noxium opponitur.

§. 16. Malum morale dicitur, quod est *ἀνομιον*: ipsa verò malitia est nihil aliud, quàm *ἀνομία*, quæ in omnibus hominibus & actionibus vitiosis, ipsisq; vitiis invenitur. Sic homines intemperantes, injusti, audaces &c. moraliter mali sunt. Ita Diabolus, quia mendax est ab initio (defectionis) moraliter malus existit.

§. 17. Na-

§. 17. Naturaliter malum dicitur, quod caret perfectio-
ne & viribus naturæ debitis; ipsa verò malitia naturalis est
carentia perfectiionum & virium naturalium, *qualis inveni-
tur in omnibus monstris & agrotis.*

§. 18. Malitia moralis aliàs vocari solet malum culpæ,
quam excipit malum poenæ, quod ad malum noxium perti-
net.

§. 19. Malum igitur noxium vocatur, quod alteri non
prodest, sed potius damnum infert. Sic caseo vesci qui-
busdam hominibus non bonum & utile, sed malum & da-
mnosum est.

§. 20. In specie verò malum poenæ subdividi solet in me-
dicinale & purè vindicativum. Illud salutatur, quod alteri
est instar medicinæ, adeoq; eidem infertur in eum finem, ut
ipsi ad aliquod bonum inserviat. *Sic sapientissimus Regum
Prov. 6. 13. v. 24. dicit: Qui parcat virga sua odit filium suum:
qui autem diligit illum, mature castigat eum. Et iterum cap.
22. 15. Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplina fu-
gabit eam.* Hoc dicitur, quod in puram vindictam alteri
ob malum culpæ antegressum infertur, *ut suspensio su-
ris.*

§. 21. Aliàs & plures distinctiones occurrere solent, ut
quòd malum sit vel apparens vel revera tale: inhonestum,
inutile vel injucundum: internum vel externum &c: sed
hæc omnia facile ex iis, quæ de bono diximus, intelligi pos-
sunt.

M E M B R U M II.

Proponens Axiomata.

1. *Omne ens in quantum ens est bonum est.*

Desumitur ex Arist. lib. 1. Nic. cap. 8. cujus verba supra

§. 7. adduximus. Videtur autem falsissimum. Nam diabo-
lus hominesq; non boni, sed mali sunt, cum sint mendaces
& aliis vitiis dediti. Sic & multi febri, epilepsia, scabie &
aliis morbis laborant, in quibus sanè non bonitas, sed ma-
litia invenitur. Adde quod experientia testetur, caseum

NON

non omnibus bonum, sed quam plurimis malum & noxium esse. Sed tamen hæc talia non sunt, quæ usitatissimum Canonem falsitatis convincere queant. Distingvimus enim ex dictis 1. inter bonitatem essentialem, moralem & naturalem. 2. inter ens consideratum in se & in respectu ad alterum. Hisce præmissis dicimus:

Omne ens, in quantum ens est, est bonum, scil. in se & essentialiter: quamvis non statim bonum sit vel moraliter, vel naturaliter vel etiam alteri, quod est per accidens, ob peccata partim à nobis, partim à parentibus nostris commissa. Quòd enim omne ens in se & essentialiter bonum sit, efficacissimè hoc argumento probo: Si & creator est bonus & omnis creatura est bona, utiq; omne ens in se & essentialiter bonum erit. Jam verum prius. Ergò & posterius. Consequentia in majore est manifesta, quia inter ens creatum & increatum medium non datur, cum terminis contradictoriis fundetur hæc distinctio. Minorem probo. Nam creatorem esse bonum omnes testantur gentes, quæ id, quod omnium optimum & beatissimum est, per Deum concipere solent. Unde Aristoteles *lib. 10. Nic. cap. 7.* Deorum vitam totam beatam esse dicit. Cum ergò Deus optimum quid sit, sponte sequitur omnem creaturam etiam essentialiter bonam esse. Nam omne malum culpæ vel oritur ex malitia voluntatis, quæ est in agente, vel ex ignorantia, vel denique ex impotentia. At Deus est summè bonus, omniscius & infinita potentia præditus, adeoq; nullo modo mali author esse potest.

II. *Omnia bonum appetunt.*

Desumitur ex *lib. 1. Nic. cap. 6.* Et ipsum quoque dubium videtur. Nam sanè *αὐτίχες* sui destructionem, latrones latrocinia, fures bona aliena, scortatores vagam libidinem dum appetunt, non bonum, sed reverà malum appetunt. Verùm salva res est. Distingvimus ex antea dictis inter bonum revera tale & apparens: quo præsupposito dicimus: *Omnia bonum appetunt*: si non sit revera tale, saltem apparens erit, quod sub specie boni veri sese alteri insinuet. Nihil enim sub

sub ratione disconvenientiæ, sed omnia sub ratione convenientiæ appetuntur. Sic αὐτὸχρηπες mortem sub ratione boni utilis desiderant, quia putant se hoc modo posse effugere calamitates quibus premuntur, aut conscientiæ morsus, quibus ob scelera antegressa affliguntur. Latrones & fures itidem bonum utile spectant: scortatores verò illicitas libidines sub ratione boni jucundi desiderant.

III. *Bonum & ens idem sunt.*

Ita Scaliger *Exerc. 300. sect. 3.* docet. Intellige autem quod idem sint materialiter. Formaliter enim distinguuntur, cum entis formalis ratio sit habere essentiam: Boni verò congruentia essentiæ cum re ipsa.

IV. *Quod in se non est bonum alteri bonum esse nequit.*

Scil. per se. Eventualiter tamen contingere potest & ex directione alterius, ut pessimè cogitata & facta optimè cadant, quemadmodum Josephus *Gen. 50. 20.* ad suos fratres dicit: *Vos cogitastis de me malum, sed DEUS vertit in bonum.*

V. *Cujus usus (scil. per se) est bonus, illud ipsum est (per se) bonum.* Et contrà:

Cujus usus (per se) est malus, illud ipsum (per se) est malum.

VI. *Omne bonum est communicativum sui.*

Scil. χρήσις, non tamen simpliciter, sed quatenus fieri potest, fas est & decet, ut prorsus inepti fuerint Anabaptistæ, qui ex hoc trito bonorum omnium communionem quoad κτήσιν, imò etiam uxorem communem usurpationem, Patrum nostrorum memoriâ, stabilire voluerunt.

VII. *Quod per se est bonum præferendum illi quod ex accidente bonum est.*

VIII. *Non omne quod apparet bonum est.*

Ita ex supra dictis constat. Sic perpetuò otiosi Scholasticis in puerili ætate bonum esse apparet, & tamen reverà malum est, cum otium sit pulvinar Satanæ.

IX. *Quò quid præstantius eò appetibilius est.*

B

X. Omne

X. *Omne malum est in bono.*

Non eo cui opponitur; hoc enim contradictionem involvit in adjecto: sed alterius, & diversi generis. Sic malitia moralis est in homine essentialiter & naturaliter bono: contra varii morbi etiam virtuosissimo exemplo Jobi accidere possunt.

XI. *Malum non est nisi à causa secunda & particulari.*

Intellige malum culpæ, seu peccatum.

M E M B R U M III.

Dilucidans Controversias.

Quæritur 1. *An bonitas sit affectio entis?* Resp. Aff. quia convenit enti & omni enti, eidemque aliquid superaddit.

Q. 2. *Qualis sit affectio?* Resp. 1. non disjuncta, sed unita, ut ex Can. 1. constat. 2. non absoluta, sed respectiva, quod ejus formalis ratio innuit.

Q. 3. *Quid nam Bonitas enti superaddat?* Resp. Non superaddit novam quandam essentiam: sed respectum seu relationem transcendentalem.

Q. 4. *An sit accidens?* Resp. Neg. quia sua latitudine substantias & accidentia, Deum & creaturas transcendit.

Q. 5. *An ex duobus malis semper minus eligendum sit?*

Resp. Distingv. inter mala culpæ, & noxia. Si utrumq; malum culpæ sit, seu peccatum, neutrum eligendum est, sed utrumq; fugiendum. Si alterum turpe, alterum non item, posterius eligi debet. Si deniq; neutrum inhonestum, sed utrumq; noxium est, minus eligendum est. Sic v. g. mercator in naufragio constitutus mercem (fortune bona) in mare projicit, ut vitam conservet, cujus rei exemplum Jona 1. v. 5. habemus.

Q. 6. *Quenam bona omnium præstantissima?* Resp. cum Philosopho ex lib. 1. Nic. cap. 7. Cum bona in tres partes distributa sint, & alia externa, alia circa animam, alia circa corpus esse dicantur, quæ circa animam sunt, maximè propriè, ac maximè bona appellamus.

Q. 7.

anno .X.

12

Q. 7. *An simpliciter verum sit: Non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona?*

Resp. Disting. Mala culpæ nullo modo facienda sunt, quamvis tolerari possint, si absque gravissimo Ecclesiæ & Reip. vulnere eradicari nequeant: Mala verò pœnæ & aliàs mala noxia fieri possunt, aut insignis alicujus boni consequendi, aut majoris mali evitandi gratia, cujus rei exemplum modò habuimus.

Q. 8. *An malum possit esse finis?* Resp. Res mala potest esse finis, in quantum sub specie boni sese alteri insinuat: sed malum, quâ malum, finis esse nequit, cum omne quod appetitur, sub ratione boni appetatur.

Q. 9. *An detur summum malum?* Resp. summum malum in essentia non datur, ut Manichæi finxerunt, qui duos statuerunt Deos, quorum alter summè bonus, alter summè malus sit; cum omne ens in se & essentialiter bonum sit, ut ex dictis est manifestum: datur tamen summum malum moraliter intelligendo, quod consistit in vita vitiosissima, sicuti contra summum bonum morale juxta Philosophum & rei veritatem in vita virtuosissima consistit *lib. I. Nic. cap. 5.*

Q. 10. *An malum habeat causas.* Resp. Si sumatur concretè pro re, quæ adjunctam habet *αὐχίαν* vel *ἀνομίαν*, quis negaret? Si verò sumatur abstractè pro malitia, dicimus, quod nec materiam ex qua, nec formam habeat, quamvis materiam in qua, seu subjectum; item materiam circa quàm, seu objectum habeat: efficientem proprie dictam etiam non agnoscit, cum non effectus, sed defectus sit: habet tamen originem & principium, à quo per deficientiam proveniat: de causa finali quid judicandum sit ex q. 8. constat.

Tantum!

Soli DEO Gloria!

B 2

AD

*Ad Præstantissimum & Humaniss.
Dn. Respondentem.*

Usq; adeò bona sunt, quæ sunt, ut pessima quæ
sunt

Pessima sint minimè, sint nisi quæ bona sunt.

Est oculi morbus, privari lumine Solis,

Pessimus: est oculus sed tamen ipse bonus.

Est animi morbus, privari lumine veri,

Pessimus: est animus sed tamen ipse bonus.

Spernite, mortales, bona contemptissima; vulgò

Quæ mala: quæ mala sunt quærite, quæ bona
sunt.

Nullus erit finis, rerum Conversio nulla:

Qui malè defierit, desiit esse malus.

Qui, Cornicoeli, bona Contemplaris: id addis,

Ne minùs excipiat cognita dignus amor.

M. Vitus Besoldus.



05 A 1053


ULB Halle 3
003 765 393



US 17







DISPUTATIO
METAPHYSICA
De
Bono & Malo,

Quam

DEO ter Opt. Max. adjuvante,

PRÆSIDE,

M. MARTINO CASELIO,

Sereniss. Sax. Elect. Alumno, & Fac.

Phil. Adjuncto,

In Academia VVittebergensi,


GABRIEL CORNICOELIUS

Costorffiensis Alumn. Ele-
ctoralis,

In Auditorio Minore

D. 2. April. horis matutinis,

Publice disquisitioni subicit.



WITTEBERGÆ

Ex officinâ Typograph. Ambrosij Rothi Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XXXVI.